Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1811
Quelle:
Copyright:

Epiſtola, ut videtur, ad *Job. Fabrum*, qua vitae hactenus actae rationes reddit, rogatque, ut ad conſequendum honeſtum aliquod munus adjutor ſibi eſſe velit. Dat. 20. *Mart.* 1538. De nobili hac Stirpe ex *Franconia* in *Auſtriam* delata agit Ill. *Hobeneccius* in *Geneal. Auſtr. ſup.* et *Wurmbrandius* in *Collectan. Gen. Hiſt.* ubi et *Gotthardi* noſtri fit mentio.

Fol. CCXLV. *Guardiani et Conventus FF. Minorum Conventualium Viennae ad S. Crucem* Libellus Supplex ad *Ferdinandum* Regem contra *FF. Minores de Obſervantia*, tunc ad *S. Ruperti*, qui ſe in horum domicilium et ſacra munia inſinuare tentabant. Germanice.

Fol. CCXLVII. *Bernardi Ottonis Würtembergenſis* Libellus ſupplex ad *Job. Fabrum*, quo rogat, ut Beneficium Eccleſiaſticum *Viennenſe* ob longiorem ſuam abſentiam alteri collatum ſibi reſtituatur. Dat. *in Coenobio Zwifaltenſi in feſto Vinculorum S. Petri Apoſtoli.* 1538. Ait inter cetera, ſe ob ſuam in fide catholica conſtantiam jam prius Canonicatu *Stutgardiano* privatum fuiſſe.

Fol. CCXLIX. *Job. Fabri* Libellus ſupplex ad Reg. *Ferdinandum* germ. ut per Edictum *Creditores Epiſcopatus Vienn.* denuo citentur, Arbitri conſtituta die de illorum poſtulatis judicent, non comparituris ſilentium imponatur. Ait, adeſſe debita ante 40. annos contracta, multa ſe privato ſuo peculio expunxiſſe &c.

Fol. CCLI. Catalogus Supellectilis a *Petro Bonomo Ep. Tergeſtino* traditae *Nicolao Fabri* et *Petro Sauerman* pro Epiſcopo *Vienn.* germanice. Supellex haec fuerit in manibus *P. Bonomi*, ex quo Epiſcopatum *Vienn.* una cum *Tergeſtino* adminiſtraverat. Ad calcem habetur fides *Nic. Fabri* Capellani regii et *D. Petri Sauerman* Procuratorum *Johannis Ep. Vien.* et *Bartholomaei de Gerot*, *Collegarumque Judicum Civit. Tergeſti.* Poſterior latina data eſt *Tergeſti die 13. Aug.* 1537.

Fol. CCLIII. *Viti Stabl* epiſtola germ. ad *Job. Fabrum* de negotiis exigui momenti. Dat. Lincii 3. Octob. 1538.

Fol. CCLV. *Erneſti* (a Schleinitz Praep. Prag. et Miſn.) *Adminiſtratoris* Archiep. *Pragenſis* Epiſtola germ. ad *Job. Fabrum* de ſtatu religionis per *Bohemiam* cum querelis contra eos, qui Sacramentum ſub utraque ſpecie percipiunt. Data *Pragae die Nicolai* 1538.

Fol. CCLVII. Inventarium *ſupellectilis lineae* in Palatio epiſcopali *Vienn.* germanice.

Fol. CCLIX. Edictum Senatus *Vienn.* germanicum de reverentia Euchariſtiae ubivis locorum exhibenda, de non deambulando in ſacris aedibus, de non aperiendis vini tabernis, aut mercatorum officinis ante finitam ad *D. Stephani* ſacram dictionem.

Fol.